



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari  
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1542**

**VD16 C 4714**

II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35748**

## ARTICVLI FIDEI

omnium rerum, uisibilium, & inuisibilium, & tam  
men tres sint personæ, eiusdem essentia, & poten-  
tia, & coeternæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus.  
Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua  
usi sunt in hac causa Scriptores Ecclesiastici, ut  
significet non partem aut qualitatem in alio, sed  
quod proprie subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articu-  
lum exortas, ut Manicheos, qui duo principia po-  
nebant, Bonum & Malum, item Valentinianos,  
Arianos, Eunomianos, Mahometistas & omnes  
horum similes. Damnant & Samosatenos, ueteres  
& Neotericos, qui cum tantum unam personam  
esse contendant, de uerbo & de Spiritu sancto  
astute & impie rhetoricantur, & non sint personæ  
distinctæ, sed quod uerbum significet uerbum uo-  
cale, & spiritus motum in rebus creatum.

### II.

Item docent, quod post lapsum Adæ, omnes  
homines naturali modo propagati, nascentes ha-  
beant peccatum originis, Intelligimus autem pec-  
catum originis, quod sic uocant sancti patres, &  
omnes orthodoxi & pie eruditi in Ecclesia, uide-  
licet reatum, quo nascentes propter Adæ lapsum,  
rei

## PRAECIPVI.

rei sunt iræ Dei & mortis æternæ, & ipsam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adâ. Et hæc naturæ humanæ corruptio, defectus iusticiæ seu integritatis, seu obedientiæ originalis, & concupiscentiam complectitur.

Estq; defectus, horribilis cæcitas & inobediencia, scilicet carere illa luce ac noticia Dei, quæ fuerat futura, in natura integra, item carere illa rectitudine, hoc est perpetua obedientia, uera, pura ac summa dilectione Dei, & similibus donis integræ naturæ. Quare defectus illi & concupiscentia, sunt res damnata, & sua natura digna morte. Estq; uicium originis uere peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem, his qui non renascuntur per baptismum & Spiritum sanctum.

Damnant Pelagianos, qui negant peccatum originis, & sentiunt defectus illos seu concupiscentiam esse res indifferentes seu pœnas tantum, nec esse res sua natura damnatas, & somniant hominem legi Dei satisfacere posse, & propter hanc propriam obedientiam coram Deo iustum pronunciari.

Item,